



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

Coronis seu Dissertatio. De perpetua Cruce Christi Domini ab instanti
Conceptionis, usque ad instans Mortis suæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

CORONIS

Seu

DISSERTATIO,

De perpetua Cruce Christi Domini ab instanti Conceptionis, usque ad instans Mortis suæ.

Coronidis loco, subnecto Tractui huic, Dissertationem, seu potius Assertionem ejus sententiæ, quæ affirmat.

Quòd Christus Dominus ac Redemptor noster, ab ipso Instanti Conceptionis Incarnationisque suæ, Passus sit per omnem usque vitam suam, usque ad instans mortis.

Probatur hoc Primò ex Sacra Scriptura Veteris Testamenti.

Psalmo 37. 18. dicit Dominus per os David. *Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.* Hieronymus ex Hebræo sic vertit. *Pauper ego, & erummosus: ab adolescentia mea, portavi furorẽ tuum, & conturbatus sum.*

Psalmo 72. 14. *Et sui flagellatus totã die, & castigatio mea in matutinis.*

Psalmo 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Legunt alii. *Et exspirans à juventute mea.* apud Augustinum.

Ibidem v. 18. *Circumdederunt me sicut aqua totã die: circumdederunt me simul.*

Psalmo

g: ~~D~~
 bic.
 oper:
 Tom 2
 N 3
 E

Psalmo 30. 11. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Isaia 9. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus.

Psalmo 39. 7. Sacrificium & oblationem nolui: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Job. 30. 16. In memetipso marcescit anima mea; & possident me dies afflictionis.

Ibidem v. 27. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prevenerunt me dies afflictionis.

Hæc similiaque Scripturæ Sacræ oracula, additis tum Patrum, tum aliorum interpretationibus, affirmant satis Animam Christi Domini, in perpetuis doloribus perseverasse.

Probatur Secundò, ex Sacra Scriptura Novi Testamenti.

Marc. 10. 38. Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptisor, baptisari? Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: & baptismo, quo ego baptisor, baptisabimini.

Luc. 12. 50. Baptismo habeo baptisari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.

Luc. 9. 31. Loquebantur excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

Matthæi 2. 11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

Zz 5

Hebræo-

Hebræorum 10. 5. *Ingressus in mundum (Christus) dicit: Hostiam, & oblationem noluisse corpus autem apræsti mihi. Holocausta pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: ut faciam Deus voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem Corporis Jesu Christi semel.*

Marci 10. 32. *Erant autem in via ascendentes Hierosolimam, & præcedebat illos Jesus, & stupabant, & sequentes timebant; & cepit eis dicere, quæ essent ei eventura.*

Luc. 18. 31. *Factum est dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Et non receperunt eum? quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.*

Luc. 9. 23. *Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Matthæi 10. 38. *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Luc. 14. 27. *Qui non bajulat Crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Ex his, similibusque Domini Nostri ad Crucem à nobis quotidie ferendam exhortationibus, evidens est Christum ipsum eam quotidie tolerasse, & portasse, propter nostram salutem, & exemplum.

Probatur Tertiò ex Patribus.

Sanctus Hieronymus illa verba Psalmi 87. 16. *Pauper sum ego: & in laboribus à juventute mea?* explicat. *A tempore Carnis assumptionis.*

Idem Sanctus in Psalmi 38. 18. illa verba *Quæ*

G: ~~...~~
 hic
 oper:
 Tom
 Ne
 E

Quoniam ego in flagella paratus sum: sic ait. *Præ-
paro me ad sustinendam, Crucem, lanceam, fel, ace-
tum, ut per hanc mortem, meo sanguine, redimam po-
pulum pereuntem. Quia Christus ad hoc venit, ut Pas-
sionem sustineret.*

Sanctus Bonaventura libro de Perfectione
vitæ Cap. 6. ita loquitur. *A Prima die Nativitatis
sua, usque ad ultimum diem, mortis suæ, Christus Do-
minus, semper fuit in Passionibus, & doloribus sicut
ipse testatur per Prophetam dicens. In laboribus à ju-
ventute mea.*

Sanctus Chrysostomus in Psalmi 37. 18.
Quoniam ego in flagella paratus sum. Sic commen-
datur. *Ea enim de causa cum carne in mundum ve-
nire sustinuit: quemadmodum ipse precans dicebat.
Quid dicam Pater serva me, ab hora hac: sed pro-
pterea veni ad horam hanc, & dolor meus in conspe-
ctu meo semper. Nostri scilicet commiseratio: propter
quam habet perpetuò sua Passionis memoriam.*

Sanctus Bernardus Ponderans verba Isaia 9.
6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.
Cujus imperium super humerum ejus. Crucem (ait)
quam Imperii nomine significavit, nativitati statim
adjungens: quia profectò à nativitatis exordio, Pas-
sio Christi exorta est.*

Idem Sanctus alio loco ait. *Volve, & revol-
ve vitam boni Jesu: & non invenies eum, nisi in Cru-
ce: ex quo enim carnem assumpsit, semper in pena
fuit, in amaritudine, & angustia.*

*Serm. 3. de
Passione
Serm. de Pas-
sione Cap. 5.*

Ejusdem Sancti notum est dictum illud,
Tota vita Christi, Crux fuit & Martyrium.

Beatus Laurentius Justinianus, libro de gra-
dibus Perfectionis Cap. 9. sic ait. *Christus à sua
Redemptionis exordio, quo adusque in Cruce confi-*

xus Patri reddidit Spiritum : nunquam pati desit : non sicut ceteri, sed incomparabiliter supra un-
 sos. Longè tamen efficacius in Anima, quam in Cor-
 pore, perpeffus est dolores maximos, actuales crucia-
 tus, spirituales gladios.

Probatur Quartò ex Authoribus.

Bellarminus Cardinalis interpretans Psalmum
 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute
 mea.* Sic commentatur. Ne putarent homines
 Christi Passionem, trium horarum, aut unius
 diei tantum fuisse, revelat hic nobis Spiritus
 Sanctus, Christum in diebus carnis suæ, nun-
 quam sine passione vixisse. Nam propter Cali-
 cem mortis amarissimæ, quem semper ante ocu-
 los mentis habuit in omni ætate sua, in labori-
 bus, & ærumnis fuit. *Pauper inquit sum ego, &
 in laboribus à juventute mea:* id est: cum in for-
 ma Dei essem beatus, & dives: propter vos ho-
 mines egenus factus sum, & in laboribus à ju-
 ventute mea, sive à pueritia mea; quod significat
 vox hebraica. Poterat etiam verè dicere: ab in-
 fantia mea.

Idem Cardinalis libro 2. de Gemitu Colum-
 bæ. Cap. 3. tractans de longitudine Passionis
 Christi. ita loquitur: [Tota vita Christi perpe-
 tua Passio & Crucis Passio, dici potuit. Siqui-
 dem ab ipsa Conceptionis hora cognovit sibi
 Crucem esse paratam, eamque libentissimè acce-
 ptavit pro honore Patris, pro salute hominum:
 & semper eam ante oculos mentis sic habuit, ut
 verè dici posset, toto vitæ suæ tempore in cruce
 pependisse.]

Idem

g: ~~2~~
 bic
 oper:
 Tom
 Ne
 E

Idem Author ibidem ex creberrima Christi Domini adhortatione discipulorum, seu omnium nostrum ad Crucem à nobis perpetuò bajulandam: rectè concludit ipsummet Christum Dominum totâ vitâ suâ Crucem suam quoque bajulâsse propter salutem nostram.

Cornelius à Lapide ad Lucae Cap. 12. 50. illa verba Domini. *Baptismo autem habebō baptisari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur*, cum præmississet sensum ex Euthymio. *Velut anxius sum propter tarditatem*. Et ex Theophylacto. *Et quomodo constringor*, id est. *quam sollicitus & anxius sum, ac premor donec perficiatur Baptismus meus*, seu Passio & mors pro salute hominum: quò etiam modo Sanctus Ambrosius, Beda, & alii. Arabicus autem. *Et ego coarctor ad perficiendum*. Sanctus Irenæus lib. 1. Cap. 18. legit. *Et valde propero ad illud*: postea hæc subdit. [Moraliter hic nota, quantus fuerit in Christo zelus, quanta charitas, quanta sitis salutis nostræ: utpote quæ tantam in eo sitim Passionis, Mortis, & crucis, licet tam atrocis excitavit, ut cor ejus inter eam, & inter Passionis moram, quasi inter duos lapides molares in molendino positum arctaretur, & in sumas angustias redigeretur, aut velut in torculari situm, angore comprimeretur, et pœnè opprimeretur. Et hoc quidem non fuit in ipso Passionis tempore; jam enim tunc, & calicem bibebat interiorum, & Baptismo baptisabatur exteriorum dolorum de facto: fuit ergo ante Passionem, fuit per totam vitam Christi, ab ipso vitæ exordio: quoniam Christus jam tunc, eadem prorsus & charitate, & eventurorum sibi scientiâ pollebat, quâ in omni reliqua, & etiam in extrema sua vita. Unde apud

apud

apud Sanctum Marcum loquitur Dominus de calicis potu, & Baptismi baptifatione: *Potestis (ait) bibere calicem, quem ego bibo, & baptismo, quo ego baptifor, baptifari?*

Laurentius de Aponte in Caput 2. Matth. ad V. 11. n. 60. & seq. cum inquit, quare tres Magi Christo Nato, inter munera Auri & Thuris, etiam obtulerunt Myrrham. Primum verba Paschasii Ratbodi adducit, de hoc Myrrhæ munere loquentis. [„Per Myrrham, quâ mortuorum corpora passim condiebantur, eum „testati sunt, velut ex præfagio humanitatis mortuorum. Ex quo, si jam tunc voce editâ loqueretur, poterat ut alibi ipse fatetur, dicere, quod ad sepeliendum me fecit. tum de suo subdit. Verè. Nam ex tunc, ex magnitudine amoris, ex obedientia Patris, ex ardore Spiritûs Sancti, pro nobis crucem apprehendit, & mortem est amplexatus. Unde hoc in Spiritu David prævidens, in persona Christi Psalmo 39. 6. ait. *In Capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Qualis illa voluntas? ut in assumpta humanitate legem novam constituam, humiliter mortem pro redemptione humani generis perferam, ait Incognitus. tum de suo sensu pergit author citatus. Ergo extunc quando Incarnatus, hoc in Dei prædestinationis libro legens, sic ardentè, sic amanter, sic efficaciter, sic continuè, hanc est amplexatus legem, ut non in angulo, non in parte, sed in medio cordis eam haberet, quasi cordis animam & Spiritum, quo viveret & alimentaretur cor. Sic ut ex memoriâ crucis, ex habitu Mortis viveret, ac respiraret. Moriturus: si

sine

g: D
Bic
oper:
Tom
N
E

sine memoria mortis; defecturus, si sine memoria Passionis; vivens & motum percipiens vitalem ex sepulturæ memoria, & affectu Passionis. Calefactus, & calorem suscipiens ex sanguine fundendo, ex morte patienda. Hinc voluit, & præordinavit, ut ex tunc jam inde vix natus, Myrrha ei offerretur.

Antonius Gaudier de Perfectionis natura & causis: Parte quartâ, Sectione 12, de duodecimo instrumento Perfectionis. Parte 1. Cap. 7. Dubium non est (ait) quin unicum Christi sacrificium in cruce, Deo abundè satisfecerit, pro toto mundo, cum vel unica Christi actio potuisset esse satis, ob infinitam Personæ satisfaciendæ dignitatem: nisi & Deus, & Christus voluisset esse copiosam nostram redemptionem. Verum si actus internos Christi spectemus: non unius tantum mortis, vel sacrificii, ad tres horas in cruce, peracti, terminis contineri potuit copiosissimæ redemptionis voluntas, (saltem conditionata) in Christo, quin & pati sapius pro nobis, & plura perferre ardentissimè desideraret, si vel Deus voluisset, vel opus fuisset. Hoc desiderium habuisse Christum tradidit Sanctus Bonaventura, in meditationibus de Passione Domini, nec videtur posse esse ullum de eo dubium. Nam si rem ipsam consideremus, nihil implicat, nullum omnino inconueniens est, imo & valdè laudabile est hic actus, & Christo dignus, & non inutilis sed efficax. Nam tanta est Dei Majestas & excellentia, ut non nisi omni infinito modo satis honorari possit. & fuit quidem sacrificium crucis infinitum, quia tam offerens, quam hostia erat dignitatis infinitæ, ad poterat addi etiam infinitudo

finitudo durationis, ut saltem quam diu mundus & homines durarent, sacrificium quoque coram Deo apparet. Idem postulabat veluti suo jure, læsa Divina Justitia, ut tot hominum ab initio mundi sibi succedentium continuus peccatis, satis fieret etiam continuâ expiatione sacrificii condigni cruenti. Erat ergo valde rationabile, ut Christus crucis suæ sacrificium ad Deum tum honorandum, tum placandum; (si ita placeret) permanere ad mundi finem peroptaret. Christi etiam inexhaustus erga Patrem Amor, & observantia, & erga nos charitas idem convincunt. Sanctissima enim ejus Anima, in ipso articulo creationis suæ, Dei bonitatem infinitam, erga se, & erga humanum genus, contemplata, immenso amoris æstu, & Dei Gloriam, & hominum salutem, quam Deo cordi tantopere esse videbat, ut ejus procurandæ præceptum imponeret: ita suscepit promovendam, ut inexplicabili profus vi amoris & desiderii consumeretur quidlibet agendi, & patiendi, in eum finem. Ut sicut Dei erga se, & erga homines bonitatem & amorem videbat esse infinitum; ita amorem etiam suum, quantum poterat, & intenderet & extenderet. Quare nec paucis illis horis aut unicâ in cruce morte definitus ille est, sed semel mortuus est, ita & millies mori optasset; & quomodo omnium causâ, & pro omnibus mortuus est, ita & unius tantum causâ (si Pater ita jussisset) copiosissimum ille & paratissimum Amorem, ad tot cruces habuisset; & si ita opus fuisset, non tribus tantum horis confectum doloribus in cruce pendere, sed etiam idem ad extremum judicii diem pati. Tanta fuit

oburni

primi

g: D
 Bic
 opere
 Tom
 Ne
 E

primi illius amoris efficacia, ut unicus ille satis ad id fuisset. Nec proinde mirum est, si toto vitæ tempore urgebat eum ille amor, ita ut diceret. *Baptismo habeo baptisari: quàm coarctor usque dum perficiatur?* Tantus enim erat Amor, non patien- di tantum, sed suo se sanguine tingendi, & mer- gendi, pro nostra salute: ut quælibet ei hora præ Amoris magnitudine, mille anni viderentur, & licet multa pro nobis & faceret, & pateretur, tamen omnia nihil esse putaret nisi totus merge- retur.,] Hæc supra dictus Author. Qui licet de amore & desiderio patiendi in Christo loqua- tur: in idem tamen recidit, & ipsa Passio inter- ior Animæ Christi, dolorque quàm maximus ejus, ex objectis, non tantum plurimis, sed etiam maximis, semper Animæ illi præsentibus. Quoniam cognitio & præsentia illa non po- tuit esse sine dolore, tristitia, horrore, aliisque connaturalibus effectis intus in Anima, estò in eos non semper, sed nonnisi quando ipsi placuit, ordinatumque fuit, ad extra prorumperet. Unde illud, quod Matthæus dicit de Christo ad hor- tum pergente. *Cepit pavere, tædere, contristari, & mæstus esse.* Non eum sensum habet, quasi nunquam hæctenus tristitiam, & metum, dolo- remve interiorem passus sit, eique tunc primum hospes veluti ingratus advenerit, id enim cum plena Christi futurorum & præsentium præsci- entia non cohæret: sed quia illo tempore, à se- metipso præordinato, atque adducto, manife- standoque, & patiendo exterius etiam dolori ac mœrori, nec non tædio destinato, cœpit exteri- us quoque dolere, pavere, tædere, mœstus esse,

V. P. Druzb. Op. VIII.

A a a

volun-

voluntariè atque sponte propriâ. Ad eum mo- & m
 dum, quo de eodem Domino Nostro dicitur
Et Jesus proficiebat sapientiâ, & etate, & gratia
apud Deum, & homines. Luc. 2. 52. Apparet
 enim pro suo arbitrio, quando, & quibus volu-
 bat, sapiens, & sapientior, & sapientissimus,
 cet in se non nisi semper esset sapientissimus, at
 que etiam ipsa sapientia.

Vincentius Caraffa Itinerarii ad Cœlum Pa-
 te 3. Cap. 6. §. 9. tractans de prærogativis Pa-
 sionis Christi: unam harum dicit fuisse, Con-
 tinuationem. [„ Cœpit enim à principio Con-
 „ ceptionis suæ Passionem suam: idque ob no-
 „ titiam & apprehensionem internam tum offen-
 „ sarum Dei; tum damnationis hominum, tum
 „ Passionis & mortis suæ sibi adventurâ: propet
 quod loquens Dominus de sua Passione, secun-
 dum Marcum Evangelistam Cap. 10. 38. non
 loquitur de illa tanquam futurâ, sed tanquam
 præsentem, & sibi actu dolorem inferente interio-
 rem, etsi nondum exteriorem. ait enim Jacobus
 & Joanni. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo
 baptismo, quo ego baptisor, baptisari?*]

Leonardus Lessius de Divin Perfect. Lib. 1.
 Cap. 17. num. 130. & seq. Cum recensisset
 quas difficultates, Christo in Redemptione no-
 stra objectas, ab eoque clarè & distinctè cogita-
 tas, postmodum hæc loquitur. [„ Ratio
 „ lendi de peccatis nostris in se susceptis à Chri-
 „ sto, eidem fuit duplex. Prior injuria Divini
 „ Majestati per peccatum irrogata. Altera Di-
 „ gnitas humani generi inde proveniens. Cui
 „ nebat ille perspicuè & in particulari, peccata
 „ omnia, & quanta singulis, infinita illi bonitas
 „ & m

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 N
 5 E

& majestati fieret injuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quàm totum genus nostrum sibi per peccatum accersiverat. Hinc dolor excitabatur acerrimus: Magnitudo enim doloris seu tristitiæ, sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, quâ malum illud apprehenditur. Atqui malum hic erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra Divinum Numen) tum in ratione pœnæ: quæ enim major calamitas & afflictio fingi potest, quam æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs singula considerabat, & ponderabat, quàm ulla creatura posset. Itaque oportebat & ipsum dolorem maximum esse: ut qui magnitudini mali, & perfectioni apprehensionis responderit. Unde non dubitaverim affirmare hunc dolorem sufficientissimum fuisse, ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in Corpus exercere permisus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi, seu mœstitiæ, vitam intercipere, & hominem occidere possit, multis exemplis constat. At dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè major fuit, & intensione, & æstimatione, quàm ullus dolor qui in hominem cadere possit. Sed dispensatione factum, ne vis ejus in corpus se proferreret, nisi quando, & quantum Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum, appetitûs inferioris, & commotionis spirituum, & sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio Conceptionis usque ad finem vitæ, sicut & apprehensio

peccatorum: quamvis, non semper æquè in appetitum inferiorem, & corpus permissus sit redundare, sed interdum plùs, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus, & locus postulabant. Maximè autem ei laxatæ habentur in horto &c.

Joannes Eusebius Nerembergicus lib. 2. de Adoratione cap. 5. tractans de Compassione Christo Patienti à nobis debita, deque moribus, quæ in Christo Passio ad eam habemus: ita deinceps pergit.

[Plùs tamen debent nos commovere, quæ „ passus est per totam vitam in uno membro, sanctissimo scilicet corde: cujus dolor immensus „ fuit à primo instanti suæ Conceptionis, & duravit quàm diu vixit. Cor est, quod primò excruciatum fuit, & quòd ultimò. Tantò magis doluit Cor ejus, quantò reliquorum omnium membrorum, intolerabiles dolores, in uno illo passus est, quod est omnibus membris delicatius. Non minor afflictio latuit in corde Jesu, ab illo instanti (conceptionis) quam habuit in horto, cum sudavit sanguinem per omnia membra. Quemadmodum illic ex vivida apprehensione dolorum & cruciatuum Passionis suæ, insolito & terribili modo afflictus fuit, sic etiam æquè intensè apprehendit eosdem dolores in utero tantissimæ Matris. Cognitio enim Christi non fuit imperfecta, eo maximè tempore, cum negotium nostræ, redemptionis acceptavit, & proposita fuit illius intellectui, sine ulla dissimulatione, omnis difficultas toleranda & vincenda. Apprehendit ibi intensissimè suam Passionem, labores innumeros vitæ suæ, opprobria, & contemptus

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 N
 E

temptus. Ista afflixit illum ab eo tempore hæc cognitio suæ Passionis, & plùs fortasse quàm in horto, si inæqualitas fiat. Nam in Gethsemani erupit exterius sensus doloris, diffususque fuit per omnes artus, ut communicatus in toto corpore angor, minor remaneret in corde: at in utero gloriosissimæ Virginis *MARIÆ* retentus est totus dolor intrinsecus, in uno membro tenerissimo, scilicet corculo infantis *JESU*. Cùm quis lacrymatur, minùs sentit afflictionem, quàm cùm recluditur angor in corde siccis oculis. Sic Christus, dum non sudavit, & sanguinem fudit, plus fortasse doluit, quia nulla particula angoris, evaporata fuit. Oportuit tamen ad nostrum documentum monstrari semel exterius, quantum passus est semper interius. Continuatus deinde fuit iste mœror per omnem vitam. Perfectissimè, & perspicacissimè, ut in se erant, cognoscebat semper omnia *JESU*. Nisi divina dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti, quo cœpit vivere, mortuus fuisset, præ doloris magnitudine. Ideo maximum & continuum miraculum fuit vita *JESU*.] Hæc nominatus Author, qui etiam interjectis aliquibus, ad idem propositum: sic deinde pergit eodem loco. [„Habitabat in Christo plenitudo Divinitatis, „ & clara Dei visio illum illustrabat: quæ tamen, „ aliquibus affectibus non obstitit; sed dispositum miraculosè fuit, ne per illam, affluentia gaudii totum corpus, & inferiores animi portiones occuparet, ut daret locum dolori, sicut accidit in Passione. At in corde *JESU* dolenti pro peccatis nostris, non tantùm dedit locum summæ tristitiæ, sed auxit summopere propter altissimam Dei

offensi cognitionem. Quò enim major fuit Cognitio Dei, majorem dolorem causabat, & Christus solus, multò majorem cognitionem intuitivam Dei habuit, quàm omnia Cherubim, Seraphim, & reliqui omnes Spiritus, ac firmo omnes homines beati. Amor quoque Christi erga Deum offensum, æqualis fuit visioni divinæ majestatis, quare dolor ejus, nec explicari nec cogitari potest. Nam non amisit occasionem patiendi quantum potuit, & decebat. Imò miracula fiebant stupenda, in sua Sacratissima Anima ne impedirentur dolores.] Hæc Nerembergus. Cujus idcirco productius verba adduxi, quia plenè exactèque exsequitur dolores Christi internos totâ vitâ continuatos, & causas eorum solidè proponit, & objectionibus, quæ huic sententiæ, de magnitudine, & perpetuitate interierum Christi dolorum, ac mœrorum fieri possunt, satisfecit.

Theophylus Raynaudus libro 4. de Christo sect. 2. Cap. 9. à Num. 44. Etsi nonnihil cunctatur agnoscere & asserere in Christo Domino perpetuam Crucem, continuatosque ab instanti conceptionis suæ usque ad Passionem dolores & tristitias exaggeratas: nihilominus ponit fundamenta moderatioris suæ sententiæ, talia, quæ perinde probant & inferunt totius vitæ in Christo Domino acerbissimos Animæ dolores. At primò de Christi desiderio: quo ad patiendum pro nostra salute infaturabiliter arsisse eum agnoscit, ita loquitur. [„Ea fuit æstuositas desiderii nostræ reparationis in Christo Patiente, ut Cerva matutinæ à Psalte sit collatus ex ea causa, interpretate Augustino. Nihil item in Scriptura cre-

g: D
bic
oper:
Tom
Ne
E

brius
pressi
deriu
quid
xion
volu
com
que
hoc
mort
jam
rio a
esset.
de de
Passi
Anin
toru
velut
vel e
tum
dolo
ptam
titui
de q
Anin
acer
sup
ratio
Anin
tum
batu
volu
plice

brius, horum Christi Patientis desideriorum expressione. Jure autem dixisse videor, hoc desiderium fuisse in Christo insaturabile; quandoquidem cum posset uno suspiriolo, aut genuflexione nos reparare, tamen tam copiosam esse voluit redemptionem, totque sibi optavit incommoda, ut scilicet nostris desideriis, eorumque insatiabilitati mederetur. Eò sanè pertigit hoc patiendi in Christo desiderium, ut etiam mortuus pati voluerit: & quod tunc extinctâ jam vitâ pati sensu præsentis non poterat, desiderio anteriore suppleret dum adhuc superstes esset.,] Hæc de desiderio Theophilus. Jam de dolore sic affirmat. [„Dolorem sub tempus,, Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum in,, Anima, ex prænotione omnium simul tormentorum facta, & ex maxima charitate doloris veluti Cote, acerrimum fuisse, & vel æquâsse, vel etiam superâsse quemcunque Christi cruciatum in Passione, ob adunationem simul omnium dolorum intellectu perspicacissimo præconceptam, & perfectissimâ Phantasie actione appetitui propositam. Hunc dolorem Animæ Christi, de quo nunc agimus (scilicet in parte inferiore Animæ appetituque sensitivo) acerbissimum & acerrimum, volo secerni à tristitia voluntatem superiorem occupante, ex objectis tristibus, per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim Animæ Christi, de quo nunc agimus, per appetitum sensitivum, prælucente phantasiâ exprimebatur, ex redundantia tristitiæ illius superiorem voluntatem quasi mergentis.,] Hæc ille.

Sciendum verò ab hoc optimo scriptore duplicem dolorem tristitiamque Animæ Christi

(extratempus Passionis) assignari & distingui. Unum, quem Dominus passus sit in voluntate superiori, & appetitu rationali, cui etiam ratio superior, & plurissimas, & gravissimas tristitia, dolorisque causas objiciebat, & proponebat. Alterum, quem Dominus sit passus in Appetitu inferioris Animæ partis, videlicet sensitivo, prælucente & proponente objecta hujus doloris phantasiâ.

*Eadem l. 4.
sect. 2. C. 4.
& Num. 225.*

Primum dolorem in parte voluntateque rationali, in Anima Christi agnoscit hic Author, fuisse acerrimum atque maximum, sive, ut ille ipse Author loquitur: Meracissimum, abyssalem: & licet expressè ab eo dictum non inveniam, quod totâ vitâ suâ usque ad mortem, à prima Conceptione hoc dolore & tristitiâ doluerit, nullum tamen etiam reperio negandi fundamentum: neque facilè potest assignari causa, cur potius aliquo tantum, & non toto vitâ Domini tempore dolor hic viguerit in Anima Christi voluntate.

Alterum Dolorem Author restringit, eumque in Anima Christi fuisse agnoscit tantum sub tempus Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum, ex prænotione omnium tormentorum simul facta, & ex maxima charitate, doloris veluti Cote. Quem tamen Dolorem sensitivæ partis, refugit agnoscere idem author durasse per totam vitam Domini nostri antecedentem ab initio. Qua de re nolo litem movere: sufficit enim proposito meo præsentis, agnosci ad auctorem hoc, dolorem in Anima Christi voluntate rationali sanè per omnia maximum, totâ vitâ continuatum. Nihil præjudicante visione intuitiva Dei.

g: D
bic
oper:
Tom
N
S

Dei, & gaudio beatifico ejusdem Animæ, & ejusdem voluntatis, quod miraculum semel admissum, non video cur etiam locum habere non potuerit in ejusdem Animæ parte inferiori, sensitivoque appetitu ejus. Cum magis videatur repugnans: Animæ Christi partem rationalem superiorem & gaudere beatificè de viso intuitivè Deo, & eandem abyssis tristitiæ mergi, ob gravissima, plurima, intellectuque perspicacissimo plenè cognita, & eidem voluntati à ratione superiori proposita: quàm sensitivum appetitum ob proposita sibi a Phantasia tristitiæ objecta tristari, dolereque maximè & simul tamen tum beatificè in rationali appetitu gaudere, tum interdum ad tempus ejusdem inferioris partis gaudio gaudere, si & objectum, & ratio ita ferret. Sed de hoc aliquid infra afferetur ex Cardinali de Lugo, paulò post adducendo.

Cornelium à Lapide jam semel adductum adduco iterum: quia & ipse non est gravatus repetere suam sententiam, & eam argumentis uberioribus confirmare. Igitur in Cap. 26. Matth ad versum 37. inter alia sic habet.

[Nota hîc primò in Christo fuisse veram tristitiam: licèt enim ipse ab initio Conceptionis suæ frueretur visione Dei hypostaticè sibi initi, essetque Beatus, & in summo gaudio, tamen summè quoque tristatus est, sed respectu diversorum objectorum saltem formalium: Nimirum Deo supernaturaliter capacitatem Animæ ejus extendente & dilatante per concursum specialem, quo concurrebat cum Anima Christi, ut simul summum gaudium ob visum Deum, & summam tristitiam ob instantem sibi

A a a §

mor-

mortem, suscipere & elicere posset. Ita communiter Theologi, qui refellunt Melchiorum Canum, dicentem, in Christo suspensum fuisse gaudium, quod naturaliter ex visione Dei sequitur, eo tempore, quo fuit Viator, ut dolere & tristari posset. Christus ergo simul fuit & Viator & Comprehensor: ut Viator tristatus & passus est, ut Comprehensor beatus existit, & gaudio plenus. Porro Christus non tantum quò Comprehensor, sed etiam quò Viator summè gaudebat & dolebat de sua Passione. Dolebat enim de ea secundum partem Animæ inferiorem, quatenus hæc Passio fuit noxia naturæ; gaudebat de ea secundum partem superiorem, quatenus illa erat à Deo volita, & ordinata ad hominum salutem.

Nota Secundò. Hanc tristitiam non tantum in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate Christi fuisse, saltem secundum partem ejus inferiorem, quæ naturaliter respicit & amat bonum naturæ suæ, scilicet vitam & sanitatem, refugit verò oditque mortem, & dolorem, de iisque tristatur. Id ita esse patet ex Christi verbis, dum orans Patrem, ait, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Voluntate ergo suâ naturaliter volebat liberari à morte.

Porro multæ fuerunt in Christo causæ tristitiæ, ob quas ab initio *Conceptionis*, per omnem vitam, usque ad mortem *continuò summè tristatus est.* &c.

Franciscus Arias de Imitatione Christi lib. 3. Parte 3. Tract. 1. Cap. 22. initio. Tractans de Prudentiæ virtute, prout illa stimulat animum, ad operandum bona, cum diligentia, atque

G: D
 bic
 oper:
 Tom
 N
 E

que promptitudine, pro oblati ad id occasione-
bus: probat hoc exemplis in primis ipsius Chri-
sti ac primùm isto. [Illo ipso temporis pun-
cto, quo Pater Æternus decrevit dari initium
Redemptionis Generis humani; subitò Filius
Dei de regalis gloriæ suæ sede descendit in istud
exilium, & humiliatus, atque nostrâ carne vesti-
tus, verusque homo pro redimendo homine fa-
ctus est. Et quia redempturus eum erat patien-
do pro ipso, ideo in instanti Conceptionis suæ
ex Virgine, & postquam creata ejus Anima be-
nedicta, corporique infusa, & personæ Divinæ
hypostaticè unita est, incepit statim pati pro ho-
mine. Quoniam in illo eodem puncto, vidit
illa Anima omnia tormenta, opprobria, & mor-
tem in cruce, per quam illi transeundum patien-
do fuit. Vidit & omnia peccata quæcunque
homines commiserant, committebant, & com-
missuri erant, ab initio mundi, usque ad finem.
Atque hæc causabant in illa Anima Sanctissima
angustias, & tristitias inenarrabiles, & incompa-
rabiles, & durantes usque ad mortem.

Ludovicus de Ponte tomo 1. in Cantica lib.
4. Exh. 4. initio, ubi sic loquitur. [Tertius
fasciculus Myrrhæ colligendus superest, ex
amaritudinibus & doloribus, quos perpeffus est
Christus Dominus, ex quo in utero Virginis
conceptus est, usque dum exspiravit in cruce.]
Et post interjecta aliqua. [Sed ulterius, quia
illum nihil unquam latuit, tunc (infans in u-
tero) perfectissimè cognovit etiam cuncta quæ
usque ad mortem crucis passurus erat, ad eaque
perferenda pro nobis libentissimè se obtulit.
Unde in ipso primo suæ Conceptionis instanti,
plenus

plenus fuit eâ myrrhâ, quàm postea erat paulatim producturus foras. Tunc bibit simul voluntate & affectu totum calicem Passionis, quem successu temporis bibiturus erat per partes.]

Bartholomæus de Amicis libro 2. Meditationum de Sacris Christi Vulneribus. Medit. 7. quæ est de vulneribus Christi Domini internis, in ipso initio ita loquitur. [Considera quomodo Sancta Anima Christi, statim postquam animavit corpus ejusdem, cognovit voluntatem Dei Patris, de redimendo genere humano à peccatis, per ipsius Christi mortem. Ubi simul representati sunt illi omnes dolores & ignominie, quas perpassurus erat, representatae autem non in confuso, sed prorsus distinctè, & quælibet sigillatim. Undè Christus cognoscendo omnes illas pœnas, atque contemptus, & ignominias, vivacissimè, statim in ejus voluntate causata est angustia quaedam acerbissima, quæ illum torfit plus quàm dum in actuali Passione perpassus est dolores extrinsecus. Externi enim & actuales Passionis dolores adveniebant Domino successivè & unus post alium separatim; at in angustia illa, atque tristitia interna, representati sunt illi omnes simul distinctè, tanquam mare dolorum, & afflictionum irruisset in Sanctissimam illam Animam, eamque inundasset. Hic anima mea subsiste & admire Sanctissimam illam Christi Domini Animam in corpusculo intra viscera materna manentem, simul verò tunc inundatam unâ immensâ afflictione, tanto majore, quantò adhuc tunc erat corpusculo teneriori, & imbecilliori unita.]

Hugo Victorinus relatus à supra dicto auctore

g: D
Bic
oper
Tom
N
E

Etore sic loquitur de Christo. [In illo instanti Conceptionis, Divina Voluntas, per justam sententiam mortem dictabat, & Christi Voluntas, per obedientiam, illam sententiam acceptabat.]

Aloysius Novarinus lib. de Tributo Divino, trib. 15. ait Dominum non fuisse parcum in sua pro nobis Passione; idque à primo Conceptionis suæ instanti.] Ut supra retuli Modo 63. initio.

Cardinalis de Lugo de Incarnatione disp. 22. sect. 2. de Dolo & tristitia Animæ Christi disputans. Afferit primò num. 15. [De Dolo, certum de fide est fuisse in Christo. *Isaia 53. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* qua de causa appellat eum Propheta, *Virum dolorum.* Hoc etiam probant omnia testimonia, quæ dicunt Christum Passum esse. *Luca 24. 26. Nonne oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam.*

Deinde ad Tristitiam (quàm à Dolo distinguit Num. 19.) progrediens, eam sensibilem cum dolore, cumque aliis sensuum molestiis, eidem Christo Domino attribuit.

Dubitat postea, & quærit an Tristitia fuerit solum in appetitu sensitivo, an etiam in voluntate Christi? Num. 20. atque ait quòd [Communis & verissima sententia est, actum Doloris & Tristitiæ fuisse etiam in voluntate Christi, & quidem non solum in portione ejus inferiori, sed etiam in superiori, Num. 21. Cùm enim hæc sit quæ versatur circa res & rationes æternas, Christus autem tristatus fuerit de fuga discipulorum, & de peccatis hominum, propter offensam Dei: item de morte sua, quæ etiam considerata

secun-

secundum regulam rationis superioris, erat ob-
jectum honestè amabile: non est cur negetur
actus tristitiæ in voluntate Christi, secundum
portionem etiam superiorem voluntatis.

Post hæc subdit num. 22. [Difficultas gra-
vior est, quomodo potuerint esse simul in eadem
voluntate, actus summæ delectationis, qualem
habebat Anima Christi, ortam ex visione beata,
& actus vehementis tristitiæ. Hi enim actus
videntur esse contrarii inter se, nec posse simul
constare, quòd aliquis hilaris sit & tristis, in gra-
dibus intensis.] Huic difficultati responderi in
hunc Modum. Num. 26. [Solutio communis
est. Gaudium vehemens habere quidem repu-
gnantiam naturalem, cum tristitia: non tamen
essentialem, atque adedò ex Divina dispensatione
factum esse, ut potuerint esse simul in voluntate
Christi, ad hoc ut pateretur pro nobis, non ob-
stante repugnantia naturali.] Hanc eandem so-
lutionem referunt ex aliis Theologis, & sequun-
tur, Suarez in 3. Part. tom. 1. disp. 38. sect. 3.
Valquez ibidem disp. 37. cap. 4. &c. quorum
verba hic referre ego supersedeo, cum Cardina-
lis eorum sententiam jam retulerit in sua.
Quamvis autem Cardinalis non sic explicet, a-
gnoscatve Christum totâ vitâ suâ dolorem atque
tristitiam in voluntate, & sensitivo appetitu ha-
buisse: nihil refert; cum ejus assertio, perinde
serviat toti vitæ Christi, sicut alicui ejus parti.
Addo præterea: Cardinali, nihil ferè dubii esse
de Christi dolore & tristitia in appetitu sensitivo
animæ ipsius, præcipuam esse difficultatem, an
etiam in voluntate ejusque superiori parte dolor
& tristitia fuerit.

Maneat

g: D
bic
oper
Tom
N
E

Maneat ergo certum, in Anima Domini nostri exstitisse dolores & tristitias perpetuas, easque gravissimas ab initio Conceptionis ejus, in mundum, usque ad articulum mortis in cruce.

Quæ autem fuerint sive objecta, sive motiva, sive causæ, quæ hanc perpetuitatem, simulque enormitatem dolorum ac tristitiæ in Anima Christi causaverint, excitaverint, & foverint, libet ex variorum sententiis assertionibusque collecta in unum, hoc loco strictim edisserere, & finem tandem tractatui huic imponere.

Supposito, quod juxta doctrinam Fidei Christianæ, Dominus noster JESUS CHRISTUS fuerit Deus-Homo & quod in ipso Conceptionis suæ humanæ: ejus humanitas hypostaticè fuerit unita Divinitati, seu Divinæ VERBI Personæ: & quod ab eodem instanti, Anima ejus intuitivè & beatificè Deum viderit, inque videndo semper perseveraverit; & quod ab eodem instanti Conceptionis perfectum rationis humanæ usum habuerit, non minusque tunc, quàm in tota reliqua vita atque adedò etiam in præsentì, omnia sciverit, cognitionemque omnium suæ perfectioni congruam, & plenissimam habuerit, rerum tam præteritarum, quàm præsentium, quàm futurarum, quoad omnes circumstantias earum; & quod ex speciali dispositione Dei, Christum ad salutem, redemptionemque generis humani per peccatum perditì, æternæque damnationi, & iræ Divinæ obnoxii, ordinantis: beatitudo Animæ illius visione Dei fruendis prohibita fuit in totam Humanitatem Christi, (uti connaturaliter debebat) dimanare, sed relinquere patibilitatem, atque mortalitatem in eo, utpote per Passionem, atque

atque mortem negotium salutis humanæ per
 Eturo. Supposito inquam, hoc quoddam retuli
 to, manifestè sequitur, Christum Dominum
 Animam ejus perspicacissimè, atque plenissimè
 habuisse cognita omnia objecta ad Passionem,
 mortem suam pertinentia, omnesque causas,
 omnes fines, omnes effectus, omnes condicio-
 nes, atque circumstantias, omnes uno verbo,
 Dei tam absolutas, quàm permissivas, circa se, &
 circa vitam, nec non Passionem, mortemque
 suam voluntates.

Sciebat ergo Christus Dominus plenissimè
 suam à Deo, ante omnem meritum suum, exal-
 tationem & dignificationem, collatam sibi ab
 ipso per unionem Hypostaticam, per visionem
 Essentiæ Dei intuitivam, per beatitudinem, gau-
 diumque & fruitionem Dei beatificam. Ex hac
 scientia, & cognitione plenissima, tantæ suæ di-
 gnificationis à Deo, & tantæ Bonitatis, dilectio-
 nis, liberalitatisque Dei super se, ortum habuit
 in corde Christi, Amorem appetitivum, tum
 affectivum, sive intensivum, seu Theandricum, erga
 Deum, universaque, ad omnem ejus circa se vo-
 luntatem, & ordinationem, sibi ex tunc jam per-
 spectissimam, adhæsiō, subjectio, promptitudo,
 & festinatio.

Ex eadem scientia ortum quoque habuit in
 corde ejusdem Christi, maxima, & planè etiam
 Theandrica, ejus erga nos homines, & erga om-
 nem salutem nostram, propter Deum dilectio,
 promptitudo, profusio; omnimodaque ad ex-
 sequendam Dei omnem voluntatem, circa re-
 demptionem nostram resolutio & applicatio.

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 N
 E

Ex his duobus capitibus scientiæ nimirum & Charitatis Christi, utriusque perfectissimæ atque Theandricæ, promanârunt in Christo Domino, reliquæ omnes ejusdem in vita universa, usque ad mortem affectiones, & in his etiam fuere timores, dolores, tristitiæ, angoresque interni; qui sicut ab instanti Conceptionis Christi, habuerunt in ipso locum, ita & habuere actua- lem, reque ipsa effectum ob specialem prædictam dispositionem, dispensationemque Dei, in Anima Christi, estò beatâ, passibilitatem tamen mortali- tatemque relinquentis. Cui etiam nequaquam præjudicabat, imò verò stimulos addebat, Chri- sti Domini, tum erga Deum; tum erga nos pro- pter Deum Caritas, & perficiendæ salutis nos- træ alacritas, & aviditas. Cum hac enim con- sistebat, omnis in redemptione nostra interven- tura, & jam tunc interveniens, seseque Christi Animæ, & scientiæ, atque Charitati objiciens difficultas. Cujus & plurima & gravissima ge- nera, sive seminaria, fuisse, faciliè cuique vel le- viter Christi Domini conditionem inspicienti patere potest.

Prima Difficultas, primumque Seminarium dolorum, & tristitiæ, objiciebat se Christo, ex In- finitudine Dignitatis & Majestatis Divinæ, quæ cum læsa, & contempta conculcataque esset, mi- serum & indignum in modum valde, à creatura sua vilissima, & ingratißima, scilicet ab homini- bus, ejus reparatio, restauratioque, ad omnem usque adæquationem (ne dicam ad excessum) incumbere Christo Domino: quod onus sanè, plùs quàm gravissimum, difficillimumque fuit, & nullis quantumlibet Gygantes, sed solis dun-

taxat Theandricis humeris supportabile, & satisfactibile erat. Christus Dominus ergo infinite Dignissimam Dei Dignitatem videns, eamque ab hominibus, (quorum ipse unus jam esse agnoscens, simulque dolens, ac sartam reparatamque quam plenissimè cupiens, totum se, totasque vires, & studia sua, in id convertit, ut huic cupiditati suæ, id est, Divinæ Dignitatis, quam plenissimæ, condignissimæque reparationi satisfaceret. Itaque, optabat per securam æternitatem huic labori reparationis impendere se totum, si ita Deo placitum esset, ut hac ratione satisfactio sua, non solum ex se ipsa, nec etiam solum ex satisfaciente se ipso, verum etiam ex duratione satisfactionis ipsius esset infinita, quod quia nequaquam statutum vidit: optabat ad finem saltem mundi, & quam diu duraret genus humanum in hoc sæculo, eidem reparationi Dignitatis Divinæ sese perenniter consecrare ac immolare, quod tali ratione, suam satisfactionem reparationemque Divinæ Dignitatis extendens & intendens quantum maximè posset, etiam copiosissimè, plenissimè, & condignissimè Deo, ejusque Dignitati deserviret. Cum autem neque ad finem mundi suos labores passionesque pro reparatione Dignitatis Divinæ, salutisque nostræ durare, adverteret divini esse consilii atque voluntatis: illud cupiditati suæ remedium advenit & adlegit: ut non tantum octo decim horis extremis vitæ suæ pateretur, neque tantum tribus horis in Cruce pendens, ac moriens, desideria imperiaque charitatis suæ impleret: sed voluit totâ vitâ suâ, à primo limine illius usque ad punctum mortis, perpetuam do-

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 Ne
 S

loris mœrorisque interni quàm exaggeratissimam in corde animoque suo crucem circumferre, ejusque doloris patientiâ Charitatem suam in Dei Dignitatem, & in nostram salutem exple- re; saturare, & saginare. Quod exaggeratissimum Christi Domini & votum, & opus, etsi exaggeratè satis erat reparandæ quâ Dei Dignitati, quâ nostræ salutis: nequaquam tamen omni ex parte sufficiebat Charitati, itaque ut illi ampliùs ampliùsque obsequeretur, utque eos quos dilexerat (Deum nimirum, & nos propter Deum) usque in finem diligeret, dilectionemque hanc propagaret, Sacrificiùm Sacramentumque altaris (nullo intellectu demirandum, nullâ linguâ explicandum) invenit & instituit, in quo perenniter usque ad finem mundi, pro nostra totiusque mundi salute, pro Dei, ejusque Dignitatis exaltatione, immolaretur, cruentaque sua Passio, & Mors, incruentè repararetur, & veluti continuaretur. Hoc ergo primum, & primum etiam, est seminarium, ut dixi, atque difficultas Dolorifera Christi Domini à primo vitæ instanti usque ad finem ejus.

Altera Difficultas huic vicina, imò hinc emanans fuit: sita in obligatione reparandæ & satisfaciendæ ad omnem rigorem Justitiæ Dei; quæ cum infinitè læsa & injuriata, damnoque in re sibi maximè debita atque propria, affecta fuisset, infinitam satisfactionem exigebat, qualem, quia nulla creatura, ac ne simul quidem omnis exhibere poterat, sed infiniti valoris, potestatis, dignitatis, opulentiaque personam, quæ id præstaret requirebat, propterea hæc difficultas, cum toto suo, quantum quantum in justitia Dei fuit

Bbb 2

pon-

pondere, in Christi Dei-Hominis humeros de-
volvebatur, immensumque & perennem dolo-
rem in ejus Anima operabatur.

III.

Tertia Difficultas fuit: ex habitu, conditione
atque statu violatoris, invalorisque in Divinum
Jus & Dignitatem, habituque Reilæse majesta-
tis Divinæ, qui Christo imponebatur, & subeun-
dus fuit, ad hoc si vellet, & ad hoc ut possit
hominum redemptionem peragere. Fuit hæc
Rei & Violatoris Divini Juris & Dignitatis habi-
tus susceptio; usque adeò Christo Domino
gravis, & onerosa, ut suâ gravitate, omne reli-
quum onus Passionis quod supportandum erat
in opere redemptionis, longè, longè quæ
antecederet, & nisi charitatis Christi, atque libe-
ralitas erga Deum, & erga nos propter Deum
amaritudinem hujus status mitigâisset, acerbita-
tem dulcorâisset, onerositatem sublevâisset, tur-
pitudinem honestâisset: poterat Dominus JESUS
ob hanc unicum Redemptioni nostræ penitus
renuntiare. Idque etiam si tantum unius peccati
atque peccatoris speciem, & vultum suscipere
debuisset. Quantò verò magis id poterat facere,
debebatque abhorrere, quando & omnium sce-
leratorum, & simul omnium scelerum habitum
induere, speciem, & formam exhibere, reum le-
gerere, & suppliciiis omnium sese exponere, at-
que supponere, jubebatur? Quid enim magis
horrificum, quid magis abominandum, quid
magis indignum, quid magis repugnans Deo
Personæ atque Dignitati, quàm reum peccati
etiam minutissimi, videri, reputari, judicari, de-
mnari speciemque & formam suscipere? Quis
ferat substantialem sanctitatem, Innocentiæque
For-

g: D
Bic
oper:
Tom
N
5

Fontem, sordidissimâ peccati, & peccatoris veste indui, cum iniquis, imò Caput iniquorum, non tantum apud ingratos, impiosque homines, verum etiam apud ipsam Dei Æterni pietatem, apud ipsum Justitiæ æternæ tribunal statui, reputari, & eo nomine supplicii, tormentis, morti demum ipsi addici?

Quarta Difficultas ex ipsorum peccatorum multitudine & enormitate in Christum se evolvens. Manifestum est enim, immensam quandam immensitatem esse peccatorum & malitiæ, feditatisque eorum, cui capiendæ, nullus humanus intellectus sufficit, quæque omnem dimensionem, sive latitudinis, sive altitudinis, sive profunditatis, sive longitudinis excedit, ducens initium à primo lapsu Protoplasti usque ad ultimum mundi finem: hujus tanti malitiæ oceani atque abyssi expiatio, & abolitio, ad æqualitatem rigorosam requirebatur, & cum ea nulli creaturæ possibilis esset, ad extremum Homini Deo Christo imponebatur, imò imposita est: juxta illud Isaïæ 53. 6. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Quæ impositio, quamvis à Christi Charitate totis viribus cordialis alacritatis excepta est, immanem tamen simul difficultatem menti Christi objecit: quam non semel per voces Prophetarum testatus est: ut cum Psalmo 21. 1. ait. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? longè à salute mea, verba delictorum meorum.* quasi dicat Patri Æterno. Id circò me dereliquisti, quia peccata & delicta, quæ in me translata, & mihi imposita suscepi nullam mihi vitæ meæ spem faciunt, nullam viam salutis relinquunt, sed me ad mortem adigunt. Et alibi,

IV.

Psalmo 39. 13. Quoniam circumdederunt me
 quorum non est numerus: comprehenderunt me
 iniquitates meae. Verba sunt Christi de peccatis
 sibi impositis, & à se assumptis ad satisfaciendum
 pro eis; sed laboriosissimè, sed ærumosissimè
 atque insuper lethalissimè. Quæ fuit

V.

VI

Quinta Difficultas Christo objecta etiam
 primo liminæ vitæ suæ. Jam tunc enim Christus
 Dominus plenissimâ cognitione cognovit om-
 nem enormitatem pœnarum, & calamitatum
 mortis, sibi præparatam & assignatam, tum
 omni vita sua secutura, tum verò præcipuè in ep-
 logo vitæ, atque in tempore actualis Passionis
 suæ: sciebat quoque jam tunc Dignitatem & ex-
 cellentiam Personæ, atque Innocentiæ suæ: scie-
 bat & teneritudinem complexionis temperan-
 que suæ Theandricæ: sciebat mensuram omni-
 um & singulorum dolorum suorum. Ex hac
 scientia non poterat non oriri, in tenerrimo
 corde Homini - Dei, adæquata cognitioni approp-
 hensio, & tam rationali, quam sensitivo appeti-
 tui repræsentatio, ex hac autem amborum hæc
 dubiè proportionata adæquataque afflictio, &
 angustatio, atque (ut Dominus ipse loquutus
 est) Coarctatio. Cujus rei evidens experimen-
 tum fuit in horto, ubi Christus & expertus
 confessus est, Tristitiam animæ suæ fuisse usque
 ad mortem, cum tam enormibus angustis
 deduci ad agoniam, & ad sudorem sanguine
 naturam humanam in Christo tenerrimam oppo-
 tuerit. Quæ animi animæque Christi angustia
 semel quidem tantum prædictâ occasione in-
 pertum prorupere, at non solâ hac occasione
 Animæ Christi in sedere, verum ex quo in ærum-
 narum

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 Ne
 S

narum suarum vivacissimam cognitionem Christus venit, venit autem in ipso vitæ suæ limine, ex eo etiam & apprehensionem cognitionis, ob-
jectisque cognitis parem, & appetitibus am-
bus, representationem atque impressionem adæ-
quatam concepit, totâque deinceps vitâ per-
sensit: esto dispensatoriè eam foras erumpere
nonnisi ab Hortensis luctæ initio, & tempore
permisit.

Sexta Difficultas Christo Domino se objecit
ex obligatione à se suscepta pœnitendi atque do-
lendi in Animo pro nostrum omnium, omnibus
quoque peccatis, super se assumptis, & ad satis-
factionem pro eis præstandum à se acceptatis.
Omni enim peccatori, sive propria sua peccata,
sive aliena quidem sed in se assumpta abolere cu-
pienti, primò omnium agnoscenda peccata de-
inde pœnitentiæ dolor, & retractatio in animo
habenda atque exercenda venit, ac tandem sa-
tisfactio exhibenda condigna, exterioribus ali-
quibus operibus, acceptis illi, cui exhibetur.
Proinde & Dominus Jesus hunc ordinem in
nostrorum expiatione peccatorum servavit, pri-
mò namque reum se, atque peccatoris speciem
habitumque gerentem, Deo exhibuit; tum pro
omnibus & singulis peccatis, condignum in
mente sua, & corde suo dolorem, ac pœnitudi-
nem deprompsit, ac tandem, ad exteriorem
quoque Passionem & mortem pro iisdem no-
stris tanquam suis peccatis accessit. *Quantus*
verò dolor ille pœnitentiæ fuerit in corde Chri-
sti, docere potest tum immensa Dignitas, San-
ctissimaque Justitia Dei peccatis violata, tum
Christi, in Divinum honorem, & nostram salu-
tem

tem Amor, & Zelus, tum indignitas scelerum
Deum patratorem, tantâ eluviè, tantâq; exunda-
tione, ut eis eluendis, nulli oceani, nulli aquarum,
estò ex omnis creaturæ lacrymis per omnem æ-
ternitatem aggregati gurgities abyssique satis un-
quam fuerint futuri, sed oportebat Divini ipsius
Cordis fontes & cataractas in ablutionem resolu-
vi, atque effundi.

VII.

Septima Difficultas fuit objecta Cordi Christi
Domini ab immanitate soli Christo satis com-
prehendendæ æstimandæque damnationis æter-
næ, peccatoribus propter scelera sua indubitan-
ter debitæ, atque etiam irremissibiliter luendæ.
Caput erat, & caput se esse sciebat, (quin & ama-
bat) nostrum, Dominus JESUS: nos verò omnes
corpus ejus & membra ejus, quorum ille integri-
tatem & salutem curaturus advenerat, & in se
susceperat, eamque operam, vitæ salutique pro-
priæ anteposuerat: damnationis æternæ malum
penitissimè noverat, & suis momentis expende-
bat: illi obnoxia esse, & fore, membra illa sua
evidenter sciebat atque videbat; & quomodo
quæso dolore Cordis, intrinseco non tangi, non
inquam, angi, & non cruciari omnibus vitæ mo-
mentis poterat? una illa cogitatio: quòd verbi
gratiâ; Judas in æternum à Christo alienandus,
& nunquam ejusdem corpori reinferendus, sed
in sempiternis pœnis demergendus esset: omni-
bus cruciatibus, omnibus crucibus, omnibus
crucis doloribus, gravior fuit, atque intolerabi-
lior. Quem dolorem quàm altè infixum, &
quam perpetuò molestum haberet in cordis sui
divini penetrabilibus, ipsemet Dominus attesta-
tus videtur. *Novæ ego duodecim elegi vos,* &

g: D
bic
oper:
Tom
N
S

unus ex vobis diabolus est. Joannis 6. 71. Et ad Patrem loquens: dum ait. *Quos dedisti mihi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joannis 17. 12. Hic Judas Diabolus, gravior Christo fuit, quam Lucifer cum omnibus asseclis suis: & in hoc perditionis filio amplius Christus doluit, quam in tota sua Passione, atque perditione. Magnitudo namque mali, perfecte præsertim cogniti, parem causat doloris tristitiæque magnitudinem. Et cum malo damnationis æternæ nihil sit gravius, & illud Christo Domino jam inde à Conceptione sua perspectissimum fuit, simulque universam generis humani aggregationem illi obnoxiam, atque destinatam, certissimum existit: quis tandem cogitare sufficiet, qualem quantumque Dolorem, ac mœrorem Cor Domini Jesu Christi, ex hoc objecto adeò calamitoso, & nullis lamentis elamentabili, pertulit, & tota quidem vitâ pertulit?

Octava Difficultas dolorifera objecta fuit Christo, ex vilitate, atque indignitate, nec non inutilitate hominum, & in sua quidem ipsorum naturali creataque, & multò etiam magis in peccatrice, peccatoque destructissima, & defædatissima, conditione. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* agebat demirans David Psalmo 8. 5. *Quid dixisses, mi Propheta, si hominis non memorem, sed propter Hominem, Deum Hominem factum, & pro eo indigna omnia extremaque passum vidisses?* Certè tanta Dei propter vilissimos, & nullius frugis usûsque homines, profusio & dejectio, nulli alteri causæ præterquam excessivæ ac nimix dilectioni atribui potest. Cur autem adeò

Bbb 5 ; dile-

VIII.

dilexerit hominem Deus? nullam causam reperire est possibile, nisi in ipsamet dilectione sua: alioqui si ad causas ex hominibus respicias, innumeras inuenies contemnendi, nullam autem diligendi causam. Dilectio ergo, divino Deo nostri cordi, quatenus quidem à charitate fluxit dulcissima illi fuit, at quatenus ad vilissimos homines sese ex mandato charitatis exporxit: acerbissimum eidem cordi dolorem, repugnantiamque ingessit.

IX.

Nona Difficultas Dolorifera Christo Domino se obtulit, ex ingratitude, malitiâ, & sterilitate, contempcioneque hominum omnium, quos viros homines secum prævidebat, & pervidebat Dominus noster, tam vivente se atque conversante se inter illos, tempore viæ suæ mortalis, quam etiam deinceps post suum in coelos abitum, usque ad mundi finem. In totius generis humani populo unum alterumve hominem vir Christus scientiâ suâ omnisciâ videbat, plenè & planè gratum futurum, sumptibus, laboribusque suis à se propter homines impensis, & exhaustis: at verò infinites infinitos videbat, qui similiter infinites infinitis, iisdemque enormissimè sceleratis modis, futuri erant beneficiorum, dolorum, ærumnarum, mortisque suæ, plus quam ingrati, plus quam contemptores, plus quam abjectores, conculcatores, & omnium pessimorum pro omnibus optimis redditores. Hæc tales videre, & Prævidere, & in numerato adeò multos habere, & omnium singulorum sceleratam ingratitude, ingrathamque malignitatem pernoscere, & nihilominus ad faciendum eis omnia bona, ad subeundum pro eis, ab eisque

g: D
 bic
 oper:
 Tom
 Ne
 S

eisque etiam ipsis omnia infanda, amanter, li-
 benter, liberaliter, profusè, prodigeque, De-
 um-Hominem descendere: quis cogitabit, sibi-
 ve periuadebit, potuisse hoc absque intimo, abs-
 que viscerali, absque incogitabili dolore, mœ-
 rore, horroreque cordis Jesu inhærere? *Filios*
enutrivisti & exaltavi, illi autem spreverunt me: que-
 ritur alicubi Dominus apud Isaiam 1. 2. Quid
 cogitabat, quid ipsum sibi dicebat Cor Boni
 Jesu, videns ac dicens. Cum in forma Dei essem,
 exinanivi me ipsum formam servi accipiens.
 Cum sine peccato essem, pro omnium peccatis
 passus sum. Cum essem vita, pro omnium morte
 mortuus sum: ipsi autem spreverunt me, ipsi
 autem in semetipsis, iterum, iterum, iterum, ite-
 rumque crucifigunt me. De filiorum Heli in-
 grata victimarum tractatione, dolenter loquens
 Deus. *Calce abjecistis victimam meam.* 1. Reg. 2.
 29. Carnes scilicet hircorum, arietum, boum
 Deo immolatorum. Quid sensit Dominus no-
 ster Jesus Christus, pro mundo ceu Agnus ad
 victimam ducendus atque immolandus: quin
 & ductus atque immolatus: & tamen ab eodem
 ingrato mundo, & calce abjiciendus, & in cruce
 mactandus, reque ipsa crudeliter & abjectus, &
 mactatus.

X

Decima Difficultas Doloris in Christi Domini
 corde Seminarium fuit, ex Hebraici populi in-
 gratitudine, malitiaque erga Christum peculia-
 riter suum, sibi, & ex suo sanguine, speciali Dei
 munere missum, atque donatum. Itemque ex
 ejusdem ingratiissimi populi propter scelus in
 Christum commissum abjectione, & repulsâ à
 Deo, ab omnibus electi populi prerogativis.
 Fuisse hoc & quidem magni doloris mœroris-
 que

que Christo Domino Seminarium, tum res ipsa
 indicat naturam suam, tum ipse Dominus, tam per
 Prophetas, quam per sua ipsius verba indicavit.
 Fuit in Domino nostro tenet affectus erga gen-
 tem & sanguinem Abraham, eò quod ex eo na-
 sciturus, atque etiam natus erat: expressit hoc
 apud Jeremiam 13. 11. *Agglutinaui mihi omnem
 domum Israel, & omnem domum Juda: dicit Do-
 minus: ut essent mihi in populum, & in nomen,
 & in laudem, & in gloriam, & non audierunt.* Et
 apud Isaiam 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum,
 & asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non
 cognovit, & populus meus non intellexit.* Ibidem
 v. 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum
 fortis Israel: Heu consolabor super hostibus meis,
 & vindicabo de inimicis meis.* Expressius porro &
 affectuosius animi sui, & dolorem, & moerorem,
 ex ingrati infelicisque populi ejusdem abjectio-
 ne, & reprobatione indicavit, quando appropin-
 quans, & videns Civitatem, flevit super illam,
 dicens. (Lucæ 19. 44. *Quia si cognovisses & tu,
 & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc
 autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Quod si Pau-
 lus Apostolus videnter de suo in populum suum
 à Deo abjectum affectu loquitur sic. Rom. 9. 1.
*Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium
 mihi perhibente conscientiam meam, in Spiritu Sancto:
 quoniam tristitia mihi magna est, & continuus do-
 lor cordi meo. optabam enim ego ipse anathema esse
 à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei se-
 cundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio
 est filiorum, & gloria, & testamentum, & legisla-
 tio, & obsequium, & promissa: quorum Patres,
 & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est
 super*

g: *D*
Bic
 oper:
 Tom
 Ne
S

super omnia Deus benedictus in sacula, Amen. Hæc inquam, si Paulus in se persensit ob ruinam populi sui. Non sensit tantò amplius Christus, quanto plus beneficentiæ suæ profudit in populum suum (maximè carnem ex eo sibi assumendo) quàm profundere vel mero desiderio potuit Paulus? Fuit ergo ruina populi, & abjectio, & malitia, atque perditio populi sui, Christo, magna tristitia, & continuus cordis dolor: pro quo & factus est maledictum: maledictus omnis qui pendet in ligno. Gal. 3. 13. Deut. 21. 25. Propter hunc dolorem Domini nostri ex scelere ac perditione ob illud populi Judaici: agnoscit Hieronymus illâ oratione Domini ad Patrem in horto. *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste; non dixit transeat à me calix: sed calix iste: hoc est populi Judeorum: qui excusationem ignorantæ habere non potest, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.* Levius ergo fuisset Christo, & minus peccatum necis ejus, minorque ob eâ damnatio alicujus alterius populi: qui ignorasset, de cujus sanguine Christus carnem non sumpsisset: in quo passu ei Pilatus exprobrasset. *Gen tuæ & Pontifices tui, tradiderunt te mihi.* Joan. 18. 35. Sed neque Christus eidem Pilato dixisset. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Joan. 19. 11.

Undecimum Doloris interni Christo Domino ab initio vitæ usque ad mortem fuit Seminarium. Exiguitas fructus, paucitasque salvandorum efficaciter per suam Incarnationem, Vitam, Labores, Miracula, Merita, Virtutes, Cruciatu, Opprobria, Crucem, & Crucis mortem. Sæpe in ore Christi fuit vox illa. *Multi enim sunt vocati,*

XI.

.IIIX

vocati, pauci verò electi: quæ cogitatio nunquam non fuit in Christo, nunquam non saucia vitæ Christi. Unde & per Prophetam quaerit quaeriturque. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psal. 20. 10. Et per alium deprecatur dicens. *Terra non operiet sanguinem meum: neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Job. 16. 1. Quomodo enim sine dolore plus quam doloroso esse potuit Dominus JESUS: perfectissimè cognoscens Passionem & mortem suam, millenis, imò infinitis mundis si applicarentur salvandis suffecturam: nihilominus non nisi paucos electos efficaciter salvaturam: infinitis autem reprobis, propter malitiam eorum, non tantum non profuturam, sed etiam ad cumulum æternæ damnationis accessuram.

XII.

Duodecima Doloris interni Domino nostro fuit seges, Amicorum & notorum suorum, imprimis verò Dignissimæ Matris suæ afflictio, atque (uti Simeon vocavit) Doloris gladius, qui Animam ejus pertransiturus erat in omni Passione Filii, si enim eum gladium prævidebat, & prænuntiabat, jam olim adhuc Infante JESU, Simeon Propheta Simeon: quanto magis prævidebat, illo jam etiam tempore Dominus JESUS: cujus Spiritu afflatus de eo prophetabat Justus Non minus certè tunc quoque diligebat JESUS Matrem, quam cum aspiciebat de cruce ipsam cruci suæ adstantem.

XIII.

Decima tertia Dolorum interiorum Christi Domini materia fuit, prævisi omnes dolores, labores, ærumnæ, cruciatus, quoscunque passuri erant omnes Apostoli, omnesque Martyres, in qui-

g: D
Bic
oper:
Tom
N
S

quibusque tormentis. Confessores item in suis mortificationibus, afflictionibusque Animi & Corporis, in persecutionibus, calumniis, contumeliis, censuris, detractionibus, jejuniis, vigiliis, paupertate, orationibus. Virgines quoque in certaminibus & defensionibus, & custodiis pro castitate. Conjuges in carne non secundum carnem militantes, in operibus bonis abundare satagantes, hoc mundo tanquam non uterentur utentes, in eleemosynas pauperum bona sua dispergentes, educationi filiorum, administrationi familiarum, & bonorum suorum laboriosè & periculosè insistentes. Præpositi quoque, & in Magistratu curaque aliorum positi, in suis administrationibus, & pro suorum salute, ac securitate, atque profectu, tanquam rationem reddituri pervigilantes. Omnes demum fideles, cum timore & tremore salutem suam operantes, & eam certam facere satagentes, tentationibus quotidie, & demonibus, carni quoque & sanguini rebelles, & mundo insidianti resistentes, atque repugnantes, vim & violentiam cælo facientes. Hos enim omnes & singulos, omnium singulorumque hominum fideliumque suorum, labores, & dolores, Dominus noster Jesus Christus, in semetipso, interno suo sensu, affectioneque, & suscepit, & sensit, dolens, gemens, orans pro omnibus: gratiam, robur, auxilium opportunum, impetrans omnibus. Sciens se esse vitem, nos autem palmites; sciens se esse caput, nos membra; sciens nos absque eo nihil posse facere. Nam si post ascensionem agebat Saulo: quid me persequeris? qui tamen non ipsum, sed credentes in ipsum persequeretur; quidni

quidni & totâ vitâ suâ, omnium suorum ærumma
pertulerit; in omnibus eas portantibus, & por-
taturis, ipse simul portans.


XIV.

Decima quarta Difficultas, quæ se objice-
bat Christi in salute nostra, & dolorem Antici-
eius per totam vitam infeminabat, fuit ex In-
tutione futura Sacratissimi Sacrificii atque Sa-
cramenti altaris: quam facturus atque subire-
rus erat, & quam subiturum se noverat, atque
etiam statuebat, usque ad mundi finem. In quo
suorum operum opere per omnem veritatem
maximo, intuebatur perfectissimè Dominus Je-
sus, quantas subiturus erat, toto isto durantis se-
culi, ad usque finem, cursu (ut uno verbo dicam)
Indignitates, seu indignissimas suâ Dignitate De-
vino-Humana, suâ Pietate, Bonitate, atque
Charitate, suâ liberalitate, atque miseratione, sua
dulcedine atque benignitate infinitâ, tractatio-
nes, per tot sæcula & annos, in tot locis, in tot, &
à tot hominibus, tot talibusque modis, plus
quàm sceleratis, plus quàm impiis, plus quàm
sacrilegis. Audeo dicere hoc unum charitatis,
atque dignationis Christi opus, quo se ad omnes
in Sacrificio & Sacramento altaris subeundis in-
dignitates resoluit, pluris constitisse, & plus hor-
roris, doloris, mœroris, tergiversationis Christo
intulisse, ejusque cordi inculisse: quàm omnes
aliæ ejus ab instanti Conceptionis usque ad fi-
nem vitæ, imò quàm omnes aliæ quæcunque
abjectiones, humiliationes, perpelliones, ex-
cruciationes, cum ipsa crucis morte, intulerunt
incusseruntque.

Plura de Doloribus Domini Nostri interius
deque eorum per totam vitam suam perpellione

g: D
bic
oper:
Tom 4.
N
E

non addo. Hæc ut arbitror, sufficiunt probare, sententiam hanc, nec stultitiæ, nec falsitatis, nec temeritatis, nec præsumptionis posse damnari, neque esse contra apertam scripturam: ut alicui pronuntiare visum est.



Septem accommodationes Passionis & Orationis Dominicæ, aliâ quondam occasione conscriptas, his meditando Passionem Christi modis accensere volui: arbitratus hanc quoque meditando rationem devotis amatoribus contemplatoribusque Passionis, non ingratam, nec inutilem fore.

ACCOMMODATIO I.

Conferre septem postulationes Orationis Dominicæ, septem effusionibus sanguinis Christi in Passione.

Pater noster qui es in celis. Oratio & ascensio mentis in Deum, qui cum peculiariter in Cœlis resideat (estò Cœlum & Terram impleat) idcir-

V. P. Druz. Op. VIII.

Ccc

co